

## P S A L M. C I.

## Titulus, &amp; Argumentum.

Oratio pauperis, cum anxius fuerit, & in conspectu Domini effuderit precem suam.

**H**UNC titulum habent omnes codices, hebraici, graeci, & Latini: ex quo titulo habetur argumentum Psalmi. Est enim hic Psalmus formula quadam orandi, qua uti poterit unusquisque pauper, & afflictus cum valde anxius fuerit, & effundere voluerit precem suam ad Deum. Sanctus Augustinus, & S. Gregorius per pauperem hoc loco, intelligunt Christum, qui partim in sua persona, partim in persona corporis sui loquatur, eo modo quo caput loqui solet pro toto corpore. Theodoret. & Euthym. per pauperem, intelligunt populum captivum in Babylone, & petentem liberationem à captivitate. Alij volunt, pauperem, qui in hoc titulo ponitur, fuisse sanctum aliquem virum, qui anxiebat pro liberatione populi, qualis fuit Daniel. Et quidem ad hos omnes accommodari possunt verba Psalmi: sed tamen Propheta generatim instruere voluisse videtur omnes oratores in afflictione positos: non enim ait, Oratio pauperis cuiusdam cum anxietate: sed, oratio pauperis, cum anxietate fuerit. Et hoc videtur sensisse B. Hieronymus, qui in Commentario scribit, Prophetam loqui in persona peccatoris. Verè enim nullus est pauperior, & miserior eo, qui indiget gratia Dei. Unde, & Ecclesia hunc Psalmum numerat inter septem poenitentiales. Hic igitur erit sensus tituli. Oratio pauperis, cum anxius fuerit, id est, Hic Psalmus docet formam orationis, qua uti poterit omnis pauper, ac praecipue is, cui ob admissa peccata, debitor est decem millium talentorum, & non habens unde reddat, anxietate stimulante conscientia, timens iudicia Dei, anhelans ad reconciliationem. Et in conspectu Domini effuderis precem suam, id est, hac formula orandi uti debet pauper anxius, non quocumque tempore, neque apud quemcumque Iudicem, sed

in conspectu Domini Dei, supremi Iudicis, & Patris omnium, effundere voluerit ex vase cordis contriti, & humiliati cum abundanti fletu preces suas, vel, ut habetur in hebraeo, scicho, eloquium suum.

HTO

## EXPLICAT. PSAL. CI.

**D**omine exaudi orationem meam: I.  
& clamor meus ad te veniat.

Hunc versiculum assidue pronunciat Ecclesia, tanquam praeparationem ad reliquas petitiones; didicit enim ex Propheta, petendam esse à Deo audientiam, antequam petitiones particulares explicentur; non quòd Deus quasi ad alia intentus egeat excitari ad audiendum: sed quia nos egemus, ut Deus det nobis spiritum precum, imò spiritus eius sit, qui postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus .i. faciat nos clamare, & postulare cum inenarrabili gemitu. Domine, inquit, exaudi orationem meam, id est, fac me sic orare, ut dignus sim exaudiri. Et rursus idem repetit ad indicandum affectum: & clamor meus ad te veniat, id est, fac me sic orare, ut oratio mea sit vehemens clamor cordis, & ita vehemens, & accensus, ut non deficiat in via, sed ad te, qui in altissimo throno sedes, quamvis profecta ex imo profundo, tandem perueniat. Multa sunt enim, quae impediunt, ne oratio nubes penetret, ut sunt defectus fidei, fiducia, humilitatis, desiderii & similia. Itaque petit gratiam bene orandi, hoc est, aptè ad impetrandum.

Non auertas faciem tuam à me in II.  
quacunque die tribulor, inclina ad me  
aurem tuam.

In qualcunque die inuocauero te, ve- III.  
lociter exaudi me.

Hec est prima, & principalis petitio pauperis tribulari, siue peccatoris poenitentis: nemo enim potest corrigere quem Deus despexerit, ut dicit Sapiens, Eccles. 7. Et prima gratia, & fons gratiarum est respectus Dei; ideò iste primum omnium petit respici à Deo, quasi dicat, Non auertas faciem tuam à me, quantumvis foedus, & turpis sim;  
& si